

in loco Manlium significat, qui cum P. Decio functus est consulatum. Ex virtute cognomen Torquati habuit, quod uno de Gallis hostibus interfecto torquem sibi velut spoliū superati hostis induerat. Ab hoc comperimus filium non ob aliquod crimosum, sed gloriosum et militare 5 facinus interemptum, quod contra patris interdictum cum hoste quamvis feliciter dimicasset.

§ 34. Atque etiam illud addam, ne qui forte incipiat subito te amare, Torquate.

... ista dicit insidiosa quadam benignitate pro- 10 scindens adversarium.

§ 36. Ab Allobrogibus nominatum Syllam esse dicis. Quis negat? Sed lege indicium et vide, quemadmodum nominatus sit.

... facta ab indicio Allobrogum et ... inlata pro- 15 positione, <ne> sensio in contrarium vergeret, vigilantissime ἀπὸ τοῦ τρόπου ipsius indicii modum tractare adgressus est [et] ostendens quaesisse Gallos de L. Cassio Longino, quemadmodum Sylla esset animatus, et hoc eos fecisse, non quod de eius moribus et proposito voluntatis aliquid 20 audissent, sed quod facta mentione P. Autronii, quem consortem fuisse praecedentis illius de ambitu damnationis audierant, existimassent aliquid etiam de coniuratione quaerendum. Deinde vincenter subicit responsum Cassi illud unum respondentis nihil se de P. Sylla scire pro 25 certo. Ibidemque statim ..., quod nos a pari dicimus, defensionem complectitur dicens huiusmodi responsum Cassi pro eo habendum, atque si negasset P. Syllam sceleris huius esse participem, quoniam is, qui de omnibus instructissimus fuerit, de hoc ideo nihil scierit, quod 30 Sylla innocens esset.